DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MENSIUM ABUNDANTIA.

Liber Soc Med Abredone

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

Ex dono Sam. Miller

DE

MENSIUM ABUNDANTIA:

Soc. QUAM, Extraord.

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

18- NECNON -02

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PHINEAS PHENÈ,

ANGLUS:

CHIRURGUS,

NECNON

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOC. ORD.

" *Quò fugit Venus? heu! quòve color decens?*
" *Quò motus? quid habes illius, illius,*
" *Quæ spirabat amores?*"

HORAT.

VIII° Kalend. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1802.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

NICOLAO PETRO PHENÈ,

ET

SAMUELI PHENÈ,

FRATRIBUS CARISSIMIS;

NON SOLUM

GENERIS PARENTUMQUE

COMMUNITATE,

SED ETIAM

PUERILIBUS ANNIS FELICITER UNA PERACTIS

CONJUNCTISSIMIS;

HANC DISPUTATIONEM,

FRATERNO AMORE

MOTUS,

D. D. C.QUE

PHINEAS PHENÈ.

VIRO

REVEREND0

EDUARDO SPENCER,

QUI

RUDIMENTIS LITERARUM

EUM

FIDELITER

INSTITUIT;

HOC

ANIMI BENEFICIORUM INOBLITI

EXIGUUM TESTIMONIUM,

EX CORDE,

OFFERT

PHINEAS PHENÉ.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
MENSIUM ABUNDANTIA.

PROOEMIUM.

§ I. UTI Natura fœminas corporibus delicatiores, quàm mares, finxit et fabricata est, ità pulchriores animisque molliores. Quinetiam, quò, constituto tempore, fœcundæ essent, conciperent, uterum gererent, parerent, lactescerent, tenerosque lactarent partus, instruxit organis sibi propriis; quæ, dum maribus amandas et concupiscendas faciunt, idoneasque ad humanum genus conservandum, morbis plurimis, nec raro periculosis, reddunt opportunas.

II. Quò,

II. Quò, dum singuli pereunt homines, genus conservetur, alma Natura eâ lege mares, pariter ac fœminas, genuit, ut, certâ ætate, pubescerent, mutuum persentirent amorem, atque illi fœtifici fierent, hæ fœcundæ; providitque, ut, hunc in finem, partes corporis, ad procreandum et concipiendum aptæ, in idoneam molem increscerent et amplitudinem.

III. Hac ætate, quæ *PUBERTAS* appellatur, et maturiùs advenit seriùsve, prout regiones orbis terrarum, ubì vivitur, breviùs à solis cursu distent longiùsve, quantæ mutationes in utriûsque sexûs corporibus fiunt? quot nova gaudia pectus implent, et movent? quot voluptates, antehac incognitæ, delectant animum?

IV. Adolescentulus, nunc primùm humore fœtifico luxurians, et Veneris potens, non diutiùs teneram virginem securus obtuetur. Videt, et incalescit:

Spectat

"*Spectat inornatos collo pendere capillos.*
"*Et, quid si comantur? ait. Videt igne micantes*
"*Sideribus similes oculos. Videt oscula; quæ non*
"*Est vidisse satìs. Laudat digitosque manusque,*
"*Brachiaque, et nudos mediâ plùs parte lacertos.*
"*Si qua latent, meliora putat* *."

Injicit oculos in sinum furtìm; avertit subitò. Anhelat; suspirat: salit cor; lingua titubat; infixus pectore hæret vultus: per noctem insomnem, cæco igne carptus, conscio omni absente, caram imaginem comprimit.

v. Tenera virgo, sororiantibus mammis, mensibusque provenientibus, occultum ignem persentit pectus permanare. Molles subindè oculos in flagrantem juvenem raptìm obliquat; timetque, dum contuetur et miratur, ipsa videri. Mollem alit flammam medullis; et,

"*Quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia, curat* †."

vi. Uti


* Vid. Ovid. *Metamorphos.* Lib. i. Fabul. x.

† Ibid.

VI. Utì autem pubertas nova fœminis gaudia affert, ità novas curas, novos morbos. Non solùm enim ferunt concipiendi fastidia, parturiendi nixus et dolores, ac vigiles lactandi educandique solicitudines; atque indefesso studio elicitos virtutum igniculos alunt, perpetuâque curâ moribus formant mores: sed, quotquot eunt lunæ, morbis opportunæ sunt.

VII. Quum ità sit, medicorum est, iis, quoties opus, succurrere; atque morbos, et dolores sæpè intolerabiles, sanare, saltemve lenire, quos corporibus animisque infirmis Natura adjunxit. Nobis igitur consilium est, de *MENSIUM ABUNDANTIA*, morbo, qui fœminarum proprius est, pauca scribere.

DEFI-



DEFINITIO.

VIII. Quum plerique, qui de morbo quolibet scribunt, ante omnia definiant, quibus notis morbus cognoscatur; non est, quamobrèm nos non itidem definitione aperiamus, quibus indiciis discernatur mensium abundantia.

IX. Hic morbus, sub *menorrhagiæ* nomine, à CULLENO definitur his verbis: "*Dorsi, lumborum, ventris, parturientium instar, dolores; menstruorum copiosior, vel sanguinis è vagina, præter ordinem, fluxus* *."

X. CULLENUS,

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosol. Method.* Tom. II. Gen. XXXIX.

x. Cullenus, itemque Sauvagesius †, hunc morbum *menorrhagiam* appellant; et in varias distribuunt species, prout oriatur ex hac illave causa, et effusus humor sit serum aut sanguis. Nostrâ verò opinione, hoc nomen omnibus morbi varietatibus non convenit; atque ipsæ varietates, quas recensuerunt, ejus naturæ sunt, ut non possint aptè comprehendi nomine, quod originis ratione indicat, uteri arterias impetu nimio sanguinem in patulas extremitates distribuere.

xi. Quoniam mensium abundantia, in quibusdam fœminis, oritur ex nimiis uteri arteriarum motibus, et, in aliis, ex patularum extremitatum laxitate, aptius nobis videtur dividere in *menorrhagiam* et *menorrhœam*; quæ sanè nomina non solùm ejus naturam accuratiùs indicant, sed etiam suggerunt, quâ ratione faustissimè curetur.

SIG-

---

† Sauvages. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. Gen. vi.

SIGNA.

XII. Sanguis, qui, pubescentibus virginibus, ex naturalibus prodire incipit, et futuram fœcunditatem prænunciat, statis plerumquè periodis posteà revertitur, donec adveniat ætas, quâ fœminæ effœtæ fiunt et steriles. Tunc enim arescunt menses, nec diutiùs fœcundari possunt fœminæ.

XIII. Non tamen omnibus fœminis eadem periodus est. Nonnullis bis, quotquot eunt lunæ, aliis tertiâ quâque hebdomadâ, aliis quartâ, menstrua redeunt. Si autem fœminæ firmâ cæteroquin gaudent valetudine, diversæ menstruorum periodi non faciunt, ut sterilescant, aut rariùs comprehendant, modò sua cuique constans maneat, neque variet perpetuò *.

XIV. Utì

* Vid. SWIETEN. *Commentar.* in BOERHAAV. *Aphor.* Tom. IV. pag. 394—6.

XIV. Utì menstruorum periodus non omnibus fœminis eadem est, ità non eadem omnibus est copia, neque eidem, enimvero, diversis temporibus. Sed, undè ità sit, nondùm medicis satìs innotuit. Minimè tamen dubium est, quin alia mensium copia alii temperamento, victui, ætati, vivendique rationi, aliquâ saltem ex parte, tribuenda sit. In fœminis sanis et adultis, singulæ plerumquè purgationes duas ferè heminas Atticas, ut aiunt HIPPOCRATES * et FRIENDIUS †, seu, quod idem est, sex propè uncias, æquant.

XV. Tantam verò his copiam neutiquàm assentiuntur alii, et hi quidem magni, auctores. Communis mensium copia, utì perhibet ASTRUCIUS, variat ab octo unciis ad sexdecim ‡: à

---

* Vid. HIPPOCRAT. *De Morb. Mulier.* Lib. I. § XV.

† Vid. FRIEND. *Emmenolog.* Cap. I.

‡ Vid. ANSTRUC. *Traité des Malad. des Femmes*, Tom. I. pag. 22.

à ſex verò ad octo, ut statuit HALLERUS *: quatuor uncias raró excedit, utì vult BRUDENELLUS EXTONIUS †.

XVI. HAENUS, quò comperiret, quantum sanguinis, singulis mensibus utero exeat, in cognitam sanguinis, recèns missi etiamnumque calentis, copiam lintea immisit; deindè, quantas sanguine maculas accepissent immissa, accuratè notavit. Iisdem sæpiùs factis, calculisque subductis, cognovit, nonnullas fœminas singulis purgationibus tres sanguinis uncias dimittere; alias, quatuor; alias, quinque; pauciores, semilibram; nullas ferè, uncias decem, nisi quopiam uteri defectu laborent ‡.

XVII. Quinetiam, utì non omnibus fœminis pari circuitu, et eâdem copiâ, abundant men-

B ses,

* Vid. HALLER. *Prim. Lin. Physiolog.* § 817. pag. 539.

† Vid. BRUD. EXTON. pag. 108.

‡ Vid. HAEN. *Rat. Medend.* Part. IV. cap. VI. pag. 204.

ses, ità nec omnibus pari tempore subsidunt. In plerisque sanis, duobus tribusve diebus decedunt. In nonnullis autem quatuor, in aliis sex fluunt dies *.

XVIII. Neque ipse quidem humor, qui secedit, iisdem semper qualitatibus est. In sanis prodit rubicundus et floridus, cruori persimilis, qui ex cæsa victima erumpit, et citò concrescit †.

XIX. HIPPOCRATI, hac de re, accedunt auctores haud pauci, graves et satìs fidi, qui in fœminarum valetudines et organa magnam curam impenderunt ‡. Nonnunquàm autem seu morbo

* Vid. FRIEND. *Emmenolog.* cap. I.

† Vid. HIPPOCRAT. *De Morb. Mulier.* Lib. I, § XV.

‡ Vid. MAURICEAU. *Des Malad. des Femmes Grosses*, tom. I. pag. 54.
GRAEF. *De Mulier. Organ.* pag. 134.
ASTRUC. *Traité des Malad. des Femmes*, tom. I. pag. 23.

morbo aliquo, seu remorâ, seu vituperandâ naturalium, indusiorum, linteorumve immunditiâ, seu aliis forsàn causis, profluvium genitale prodit corruptæ bili, aut puri, aut pituitæ persimile *.

XX. Verùm minimè tamen credendum est iis, quæ, de hoc profluvio, anilitèr effutit PLINIUS. "*Nihil*," inquit, "*facilè reperiatur mulierum profluvio magis monstrificum. Acescunt superventu musta; sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, et fructus arborum, quibus insidêre, decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisque nitor: alvei apium emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinùs corripit, odorque dirus: et in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus*

* Vid. HIPPOCRAT. *De Morb. Mulier.* Lib. I. § XVIII, XIX, XX, XXI.
SWIETEN. *Commentar. in* BOERHAAV. *Aphor.* tom. IV. pag. 412.

sus inficitur *." Hæc aliaque incredibilia, quæ, de hoc humore, dixerunt hic auctor et COLUMELLA †, increduli aspernamur.

XXI. Quum purgationes fœminarum sic varient, non circuitu modò quo redeunt, et tempore quod singulis vicibus fluunt, verùm copiâ quoque et qualitatibus; difficile nonnunquàm est, nimiæ, necne, sint, discernere.

XXII. Medicum, qui, de hac re, dubitat, oportet perquirere, quæ menses antegressa sint; quo circuitu ipsi redeant, quamdiù singulis vicibus fluant, et quantâ copiâ; et, denique, quæ mala singulis purgationibus supervenire soleant. His enim cognitis, ei plerumquè in potestate erit judicare, mensium, necne, abundantiâ fœmina laboret.

XXIII. Quæ

* Vid. C. PLIN. SECUND. *Hist. Nat.* Lib. VII. cap. XV.

† Vid. COLUMELL. *De Re Rustica*, Lib. X, vers. 357, et seq.

XXIII. Quæ mala mensium abundantiam præcedere solent? Multa sanè, nec ea quidem parva; dolor, nempè, capitis; vertigo; spirandi difficultas; horrores; vehementes dorsi lumborumque dolores; pulsus frequens; calor; sitis; albique ex naturalibus humoris fluxus*.

XXIV. Menses quoque nimìs plerumquè abundant, ubì frequentiùs redeunt, diutiùsque fluunt copiosiùsve, quàm in eadem solent fœmina; vel etiam in aliis solent eâdem ætate, eodem temperamento, quæque similem vivendi rationem sequuntur †.

XXV. Nimiæ itidem fœminarum sunt purgationes, quas insequuntur pallor faciei; imbecilles arteriarum pulsus; ex levissima exercitatione fatigatio; spiritus vel modicâ exercitatione concitatus; dolor ex recto aliquantisper corpore; extremitatum frigus; pedes,

* Vid. CULLEN. *First Lines*, § D,CCCC,LXXI.

† Ibid. § D,CCCC,LXVIII, et D,CCCC,LXX.

pedes, advesperascente die, aquâ intercute tumidi * ; anxietas ; animi deliquium ; convulsiones ; partium tumores ; malus corporis habitus ; albus ex naturalibus fluxus ; *hectica ;* tabes, seu *atrophia* †. Hæc utique mala omnia exinanitione oriuntur.

CAU-

---

* Vid. Cullen. *First Lines,* § D,CCCC,LXXII.

† Vid. Friend. *Emmenolog.* Cap. XII.



CAUSÆ.

XXVI. Signis præcipuis cursìm memoratis, nunc quærendum est, nedum undè fœminæ aptæ reddantur, quæ mensium abundantiâ laborent, et quæ causæ hanc faciant abundantiam ; sed etiam, quæ causa eandem contineat. De his ordine, nobis in animo est, hìc loci, pauca dicere.

XXVII. *Abditæ.*—Quæ mulieres, præ cæteris, sunt nimiis fluoribus opportunæ, eæ aut sanguine, supra modum, abundant, aut laxâ sunt corporis compage. Quò enim abundantior sanguis est, eò faciliùs causis quibuslibet incitantibus in uteri vasa impellitur ; et, quò laxius corpus, eò faciliùs patulæ arteriarum extremitates impulso sanguini cedunt, eique permittunt, ut effluat.

XXVIII. Corpus

XXVIII. Corpus, supra modum, implent ignavia et inertia, tam corporis quàm animi; opiparæ et luxuriosæ dapes; multus quotidie vini usus; somnus nimius.

XXIX. Nec pauca sunt, quæ, universum corpus laxando, fœminas reddant aptas, quæ mensium abundantiâ diffluant. Hujusmodi sunt conclavia calida; molles lecti; vita sedentaria; lautæ epulæ; iners otium; quotidianus potulentorum tepidorum abusus; profusiones sanguinis; ventris proluvies; febres aliive morbi prægressi; calidæ regiones.

XXX. "Apud BATAVOS," inquit SWIETENIUS, "mulieres tepidis aquosis potibus, per "totam ferè vitam, abutuntur, et hibernis "mensibus, hypocaustulis suppositis, inferio- "res corporis partes perpetuo calore fovent, "nimio menstruorum fluxu exhaustæ lan- "guent, et totæ redduntur cachecticæ *."

His

* Vid. SWIETEN. *Commentar. in* BOERHAAV. *Aphor*, tom. IV. pag. 408.

His causis accedant abortus, itemque frequens partus, nullo interveniente lactatu.

XXXI. *Evidentes*—nimiorum mensium causæ sunt, ea, quæcunque sint, quæ nimìs incitant uteri arterias, aut patulas earundem extremitates laxant. Illæ causæ vim propellentem augent; hæ vim resistentem minuunt. Illis *menorrhagia* efficitur; his *menorrhœa*.

XXXII. Primo genere continentur omnia, quæ faciunt, ut in uterum sanguis justò uberiùs demittatur. Hujusmodi sunt graves exercitationes, quibus utuntur fœminæ, recto corpore; nominatìm, equitationes, ambulationes, saltationes, saltus, nisus omnes vehementes: graves casus, imum abdomen contusum aut percussum: lascivæ picturæ et imagines, libidinosæ dapes, tabellarum verborumve obscœnitas; cæteraque, quæ, libidinum imaginationes excitando, cupiditates veneris accendunt.

XXXIII. Ad idem genus pertinent ea, qualiacunque sint, quæ sanguinem in uterum, supra modum, alliciunt et derivant. Talia sunt cathartica acriora, quæ intestinum rectum vulvæ contiguum vehementèr stimulant; ea, quæ urinam citant, vesicamque irritant, oleum velut terebinthinum, tinctura cantharidum, magna vis sinapis aut piperis, et his assimilia; immundus, dum fluunt menses, coitus; obscœnus Priapeiarum effigierum usus; verendorum inflammationes; et, siqua, similia.

XXXIV. Secundum genus causarum evidentium, quibus muliebria nimia reddantur, ea comprehendit, quæ patentes uteri arteriarum fines nimìs relaxant. Hujusmodi sunt abortus; frequens, nullo interveniente lactatu, partus; partus difficiles; immoderatus concubitus, et tùm maximè ubì vulvæ purgantur; calidus ex suppositis hypocaustis halitus; frequens pedum fotus calidâ aquâ; hisque consimilia.

XXXV. *CONTINENS.*

XXXV. *Continens.*—Dictis mensium abundantiæ causis, tam abditis quàm evidentibus, proximum est, ut memoremus, quæ hunc morbum contineat. De re verò satìs clara, et ad intelligendum apta, multa dicere non opus est. Haud equidem ignoramus, nihil, apud medicos, sæpiùs in contentionem venisse, quàm, quid sit continens, seu proxima, causa morborum. In disputationibus autem rariùs, utì nobis videtur, de re controversiam moverunt, quàm de verbo.

XXXVI. Proxima mensium abundantiæ causa est, aut concitatior uteri arteriarum motus, præ quo, sanguis in patulos harum surculos, quamvis utique sanos, justò enixiùs impellitur; aut nimia ipsorum surculorum laxitas, præ qua, hos sanguis, licèt salutari duntaxat vi impulsus, solitò faciliùs penetrat et permanat. Harum causarum utrâlibet muliebria copiosiora proveniunt, quàm quæ ad fœcunditatem et sanitatem conducant, atque insequuntur omnia mala, quæ suprà memoravimus.

DIA-



DIAGNOSIS.

XXXVII. Quum mensium abundantia nullum alium referat morborum, qui vulvam afficiunt, dicere, quibus notis ab his dignoscatur, nobis haud necessarium videtur.

XXXVIII. Undè medici discernant, utrùm menses nimii sint, an periodis, spatiis, modoque naturales, quales tam valetudinis quàm fœcunditatis ratio postulet, patebit ex revocatis in memoriam signis, quæ suprà narrantur. Qui igitur dubitant, hæc animo perpendant; dein judicent, utrùm vigeat natura, an præpolleat morbus.



SIGNORUM RATIO.

XXXIX. Mala, quæ mensium abundantiam insequuntur, ex sanguinis penuria, seu vasorum exinanitione, enascuntur. Præ enim sanguinis inopia, non cor modò et arteriæ debilitantur, verùm cerebrum quoque ac nervi, mirum in modum, torpescunt.

XL. Quocircà fit, ut, qui superest sanguis, is in omnes corporis æqualitèr partes non distribuatur, et minimè omnium in summam cutem. Sed, quò minùs in corporis superficiem diffunditur sanguis, eò magis avertitur in partes reconditiores, quarum arteriæ, præ debilitate, ad eum distribuendum parùm valent.

XLI. Dum igitur, ob arterias summæ cutis non satìs plenas, pallent facies et labia ; membrorum

brorum extremitates aquâ inter cutem tument, et, contra consuetudinem, frigent, ob debilitatem, quam nimia sanguinis profusio peperit. Ex sanguine per debiles pulmonum arterias languidè distributo, nec satìs hausto spiritu mutato, oritur anxietas; atque ex eodem, per cor et pulmones difficilè transmisso, præcordiorum gravitas.

XLII. Menses albi, convulsiones, tabes, *hectica*, nascuntur ex universi corporis debilitate; sanguinisve tenuitate et malo habitu, quæ debilitati superveniunt.

1. Cibis enim, præ stomachi imbecillitate, nec appetitis nec concoctis, sanguis, quippe cui non suppeditetur *chylus*, parcior fit, quàm qui corpori præbeat nutrimentum, quantum dispendium compenset; atque adeò attenuatur, ut tenuiores ejus partes, nec colorem habentes, per patulas uteri arterias ferè perpetuò elabantur.

2. Cerebrum

2. Cerebrum intereà, sanguine in caput solitò parciùs itemque languidiùs distributo, fatiscit, et, cum eo, nervi ; atque musculi, horum debilitatis participes, fiunt ad irritandum adeò faciles, ut levissimis causis in motus abnormes cieantur.

3. Sanguis ipse et *chyli* penuriâ, et mensium abundantiâ, et recepto adipe, nedum parcus et tenuis fit, sed etiam malo habitu ; atque misera fœmina, nisi succurrat medicina, lentâ tabe simul et febre consumitur.

PRO



PROGNOSIS.

XLIII. Ventum est ad eam rei nostræ partem, in qua nobis consilium est, paucis exponere, quæ notæ spem injiciant, quæ metum. Medicorum interest, morborum, quibus subveniunt, signa attento animo perpendere, ut sciant, quid sit eventurum, præsagire. Namque, apud vulgus hominum, et, quod ad medicinam attinet, longè maxima pars hominum vulgus habenda est, medico faciliùs ignoscitur, qui medicinæ inscientiâ ægrum occiderit, quàm qui malè præsenserit, aut perperàm prædivinaverit, quid esset futurum.

XLIV. Fœmina, florens ætate, et cætera sana, non periclitatur, etiamsi nimiâ plenitudine purgationes supra modum abundent, quem prospera valetudo et fœcunditas requirant: quippe

quippe cùm abstinentiâ et exercitatione præcavere possit, ne posteà nimìs plena fiat.

XLV. Neque enimvero periculum est, si fœmina, corpus sana, immodicâ recti corporis exercitatione, saltatione, nempè, equitatione, aut saltu, nimios menses profundit. Dummodò enim has posteà exercitationes caveat, simulque temperata sit in cæteris vitæ partibus, modicis plerumquè mensibus, statis periodis, purgabitur.

XLVI. Neque verò magnum discrimen est, quamvis laxis fœminis purgationes nimìs abundent; modò nondùm abortum fecerint, necdum vergat ætas, nequedum tenuata multùm corpora sint, nedum supervenerint morbi insanabiles, sanatuve difficiles. Fieri enim potest, ut firmâ diætâ, exercitatione modicâ, frigidario ubì permittant purgationum intermissiones, simulque adjuvante, quoties opus, medicinâ, sua corpora confirment, neque immodicis diutiùs menstruis purgentur.

XLVII. Neque terrere debet ea mensium abundantia, quæ iniquo lapsu oritur, contusumve ventrem insequitur; nisi uterus ipse, aut partes quædam vicinæ, quibuscum aut per ligamenta connectitur, aut per nervos consentit, grave aliquod detrimentum acceperint. Fabricâ enim partium integrâ, mala, quæ lapsus aut contusio attulerit, rarò diù manebunt.

XLVIII. Contrà, periculum est, nec id quidem leve, ubì malis artibus turpibusve ministris, quas suprà memoravimus, libidinantes menstruorum periodos præfestinant, spatiaque protrahunt. Quis enim medicorum potest earum corporibus valetudinem restituere, nisi priùs excogitaverit, quemadmodùm castiget corruptos mores, et remedium castificum paraverit, quod libidines compescat, et ægram præsanet mentem?

XLIX. Pessimum quoque est, si fœminis, at maximè laxis ac ætate vergentibus, nimiis purgationibus vires dissipatæ sunt; si super-

venerunt

venerunt stomachi imbecillitas et resolutio; si pallor albidus faciem, et summam ubique cutem, occupat. Quippè, ubì eò ventum est debilitatis, periculum est, ne miseræ lentâ tabe aut hydrope pereant.

L. In extremo discrimine versantur infelices mulieres, et rarissimè quidem servari possunt, ex quarum vulvis, brevi postquàm partum ediderint, aut abortum fecerint, tanta vis purgationum erumpit, ut mox insequantur palpitatio, animæ defectus, et convulsiones. Nam, nisi præsentaneo iis auxilio et efficace succurratur, citâ morte rapiuntur.

LI. Quàm sæpè quoque sanguinis è matrice profluvio pereunt miseræ fœminæ, quæ, postquàm parùm pepercerunt pudicitiæ, et clanculùm conceperunt, famæ, horresco referens, impiè consulunt, ea assumendo faciendove, quæ abortum inferant! Quàm aptè Ovidius!

"*Quid*

"*Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis;*
"*Pomaque crudeli vellis acerba manu?*
"*Sponte fluunt matura suâ. sine crescere nata.*
"*Est pretium parvæ non leve vita moræ.*
"*Vestra quid effoditis subjectis viscera telis;*
"*Et nondùm natis dira venena datis?*
* * * * * * * * * * * *
"*Hoc neque in* ARMENIIS *tigres fecere latebris:*
"*Perdere nec fœtus ausa leæna suos.*
"*At teneræ faciunt, sed non impunè, puellæ.*
"*Sæpè, suos utero quæ necat, ipsa perit.*
"*Ipsa perit, ferturque toro resoluta capillos:*
"*Et clamant,* MERITÒ, *qui modo cunque vident* *."

CURA-

* Vid. OVID. *Amor.* Lib. II. Eleg. XIV.



CURATIO.

LII. Sequitur, ut nunc explicemus, quibus medicamentis et remediis morbo succurratur, cujus signa et causas exposuimus. Hanc verò rei nostræ partem exsequendo, minimè nobis consilium est, de omnibus medicamentis remediisque fusè disserere, quibus, omni ævo, fœminis mensium abundantiâ laborantibus subvenire medici consueverint; sed pauca tantùm, quæ, nostrâ ætate, peritissimus medicorum quisque efficacissima judicet, quàm brevissimè proponere.

LIII. Medici, qui nimio muliebrium profluvio languescentibus subveniunt advocati, debent duo sibi perficienda consilia indicere; profluvium, nempè, inhibere; deinque præcavere, ne ullo posteà modo id excedat, quod

secunda

secunda valetudo et fœcunditas postulent. Quâ ratione quibusque hæc exsequantur, quàm paucissimis dicendum est.

LIV. *Primo consilio*,—oportet medicum non solùm præcipere, ut ægræ ab omnibus abstineant, quæ incitent cordis arteriarumque motus, et ut refrigeratoria et astrictoria adhibeant; sed etiam, modò hæc non sistant profluvium, sanguinem ex brachio detrahere, et, si opus, matricis vasa comprimere.

LV. *Abstinentia.*—Quibus fœminis purgationes nimìs abundant, eæ, ne cor et arteriæ incitentur, cavere debent non solùm exercitationes, et calorem, et molles lectos, et calida conclavia; sed etiam esculentis levibus, refrigerantibus, concoctuque facilibus vivere, et, quantùm permittant pristini mores, frigidulis potulentis. Debent, intereà, decumbere, natibus paulò, quàm humeri, elatioribus; atque alvum, si astricta, laxare catharticis lenioribus, quæ parùm calefaciant aut stimulent.

Abstineant,

Abstineant, porrò, concubitu, et vel permissa gaudia fugiant*: quippè, dum mensibus purgantur, nocebit empta invaletudine voluptas.

LVI. *Refrigeratio.*—Quinetiam, iis fœminis, quibus menses, supra modum salutarem, abundant, opportunè succurrendum est medicamentis, ex iis quæ, corpus universum refrigerando, nimios arteriarum motus sedant, et sic sanguinis fluxus temperant et inhibent.

LVII. Hujusmodi autem sunt acida, quæ suggerunt expressi quidam fructus; mala, nempè, aurea, mala citrea, et *tamarindi.* His accedant *sales* quidam *secundarii,* velut *citras potassæ, nitras*que *potassæ.* Hæc medicamenta refrigeratoria iis maximè fœminis conveniunt, quæ robustæ sunt, et sanguine nimìs plenæ, quibusque mensium abundantiam faciunt nimii uteri arteriarum motus.

LVIII. *Astrictio.*

---

* Vid. CULLEN. *First Lines,* § D,CCCC,LXXX.

LVIII. *Astrictio.*—Mulieribus delicatioribus, et naturâ, aut vivendi ratione, aut morbis laxis, quibus fluores, ultra modum, abundant, non tam à nimiis uteri arteriarum motibus, quàm patulorum earundem surculorum laxitate, astrictoria multùm prosunt. Quibus itaque mulieribus hâc causâ superfluunt menstrua, eæ debent non naturalia modò aquâ frigidâ fovere, aut aquâ frigidâ quâcum commixta astrictoria quædam potiora sint; verùm *sulphatem* quoque *aluminæ*, et *acidum sulphuricum* aquâ temperatum, assumere, et siqua similia.

LIX. *Sanguinis detractio.*—Si ea, quæ diximus, profluvium non inhibent; vel si, ut ubì post partum aut abortum utero scaturit sanguis, tempus non datur, quo medici experiantur, necne respondeant; sanguis, nullâ morâ, debet ex brachio emitti. Ex duobus enim malis, quorum alterutrum tantùm evitare licet, minus perpetiendum est: tutius autem est fœminæ, rebus tam desperatis, sanguinis

ex

ex brachio jacturam pati, quàm ex utero; quippè quia sanguinis partis ex brachio missio nonnunquàm impedit, ne totus ex utero scaturiat, et sic fœminam conservat, quæ aliter periret. Sanguis ex brachio plagâ amplâ et pleno rivo mittendus est, quò major ab utero derivatio sit; neque, extremo discrimine urgente, sistendus est, donicùm ægræ anima defecerit.

LX. *Compressio.*—Ubì autem vel sanguinis ex brachio detractio non obstat, quò minùs, post abortum aut partum, ex utero scaturiat sanguis tantâ copiâ, quanta præsentem mortem intentet; vasa, ex quibus sanguis profluit, sine mora, ut nonnulli contendunt, comprimenda sunt. Hunc in finem, oportet immissâ spongiâ aut linteis vaginam sic obturare, ut sanguis nullo modo possit ex natura effluere, sed in utero stagnet, concrescat, et vasa comprimat.

LXI. Nostrâ verò opinione, hujusmodi compressio parùm proficiet; quia uterus fœtu nuperrimè distentus, necdum ad optatum modum

 contractus,

contractus, quolibet intùs distendente facilè denuò ampliabitur, et tantum forsan sanguinis continebit, quantum mortem afferat.

LXII. *Secundo consilio*,—utì oportet eas fœminas, quarum purgationes supra modum abundant ex nimia plenitudine, esse esculentorum, maximè carnium, modicas, et vini abstemias; simulque exercitatione uti, quanta cutis halitum eliciat: ità debiles, quæ, præ patentium uteri arteriarum laxitate, nimiis mensibus exhauriuntur et impallescunt, debent non solùm omnia vitare, quibus infirmentur, sed etiam ea facere et assumere, quibus confirmetur valetudo; abstinere, scilicet, à potionibus tepidis, calida conclavia fugere, sub divo sese mediocritèr exercere, atque diætâ firmâ, valente, et levi vivere.

LXIII. Fœminæ, sive plenæ sive debiles, ubì menses redeunt, fugiant concubitum, fugiant visu audituve indecora, et compescant veneris cupiditates.

LXIV. Plenis

LXIV. Plenis, denique, juxtà ac laxis fœminis, proderit, si nihil prohibeat, quotidie in frigidarium descendere. Quippè lavatio frigida impedit, quò minùs illæ denuò nimìs plenæ fiant ; his totius corporis firmat compagem et constitutionem.

